



Disputatio juridica inauguralis de donationibus

<https://hdl.handle.net/1874/343254>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE

29

DONATIONIBUS,

QUAM

FAVENTE LIBERRIMO DONATORE

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinæ Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ
Medicinæ, Anatomæ, & Botanices Antecessoris Ordinarii,

NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Alma
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus &
Privilegiis ritè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

REGNERUS AB OOSTERHOUT, Ultraject.

Ad diem 10. Decemb. horâ locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, clō Ic Lxxxv.

Piis honestisque VIRIS,

D. ABRAHAMO ^{A B} OOSTERHOUT,
Mercatori.

D. HERMANNO WOLF, nuper Se-
niori Ecclesiæ Orthodoxæ.

D. ABRAHAMO à MERRIENHOF,
Mercatori ac Ecclesiæ Orthodoxæ sæpius Diaco-
no illi patruo his vero cognatis studiorum meo-
rum Mecenatibus unicus, tutoribus parentum lo-
co dum spiritus hos regit artus colendis veneran-
dis.

NEC NON

D. ALBERTO vander TIN,
Mercatori amitæ meæ marito ad rogam usque
suspiciendo colendo.

Denique Doctissimo

D. NICOLAO à FOCKENBERGH,
M. D. nec non apud Ultrajectinos feliciter
praxin exercenti, præceptori, instillatori studio-
rum meorum præsertim humaniorum unico,
cognato de me studiisque meis optime merito,
eoque nomine honore æterno, prosequendo, co-
lendo, venerando, amando.

*Hæc studii Juridici primitias ut & semetipsam
qua decet humanitate*

amore

more

ore

re

D. D. D. Consecratque
REGNERUS ^{A B} OOSTERHOUT, Auctor.



PROOEMIUM.

Quod J^C. de mandato societate ac commodato Sc. afferunt hæc ex officio atque amicitia originem trahere id non immerito, si non multo magis, de donationibus prædicare possumus; cum enim natura vel Deus, qui sano sensu natura ipsa est, inter homines cognationem quandam instituerit l. 3. ff. de J. & Jur. quid naturalius quam hominem homini subvenire liberalitate sua, unde Cicero alibi inquit. Liberalitate nihil est naturæ hominis accommodatius; imo per illam magis divinæ naturæ accedere credidit Antiquitas, cum statueret, nihil aliud Deum esse quam homini prodesse; sed notabile est quod apud Ciceronem sequitur; sed multas habet cautiones: profusa nempe liberalitas prodigalitas magis, quam liberalitas dicenda est. Voluntas quidem domini rem suam in alium transferre volentis (sive gratis sive non) rata habenda est, sed Sc è contra Reip. interest, ne quis re sua male utatur, nam Sc donare interdum est perdere; hinc antiquitus multæ leges latæ sunt quæ profusam donandi licentiam vel in personis, vel in rebus, vel in modo donandi coarctarunt; hanc igitur materiam de donationibus mihi ab Amplissima nobilissima facultate Juridica oblata ele-

gi, materiam antiquitus quidem quotidianam & frequentem, moribus vero nostris cum liberalitate prope extincta mentes hominum quasi avaritia occupat, senio atque ita usu obsoletam, ut jure inter abrogatas leges recenseri debuerit, ut jocatur an indignatur elegantis ingenii Vir Baudius in Centura 2. ep. 71. quam proinde materiam cum magis per universum Jus dispersam repererim, quam primo intuitu videbatur, si ei pro dignitate aequale pondus non sit appensum id ne etati imputare dedignemini. Sed ad rem ipsam Deum in primis venerans sine quo nihil unquam commode geritur Nov. 6. in pref. Ut quicquid in presentiarum molimur operis id auspiciato ac bonis avibus fiat & melioribus exeat.



DIS.

DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

DONATIONIBUS.

THESIS I.



Um per investigationem vocabulorum deveniamus in rerum cognitionem, & verborum prior, rerum potior sit habenda ratio, haud inconveniens videtur de Donationibus tractaturo in ejus etymon breviter inquirere. Donatio dicta est à dono, quasi doni datio rapta à Græco *δῶνον* καὶ *δῶσει* *δῶναι*. donum & donare *l. 35. §. 1. ff. de mortis causa don: quomodo au-*

tem donum à munere distinguatur explicat Ulpianus in *l. 194. ff. de V. Sig. &* uberrime post *Zoes. Covarr. Connanus in comment. f. C. v. l. 5. cap. 9. p. mibi 448.*

Donatio à variis varie definitur, mihi hæc videtur præferenda. Donatio est liberalis rei in alium collatio. Generis loco non potest vocabulum contractus ut *Wesem. Freul. Gomez. & DD. passim ad h. t.* neque enim donatio etiam Jure novo contractus est, ut *Harprecht* operose ostendit *ad h. t. p. mibi 576. & seq.* non obstat *l. 17. C. de C. de fide instr. & l. 8. in pr. C. de pres. 30. vel 40. ann.* ubi contractibus annumeratur, quia intelligendæ sunt de casu quo perfectæ fuerunt stipulatione, quæ contractus est. *l. 1. §. fin. ff. de pactis.* Accedit quod omnes actus alii utiles extra mere beneficos, tantum contractuum nomine appellantur ut optime animadvertit *Hugo Grotius de J. B. & P. lib. 2. cap. 12. n. 7.* Neque etiam definitioni adjeci, nullo jure cogente ut *Com. schola DD.* facit, superfluum id enim videtur, cum illud satis contineatur sub voce libera-

liberalis, liberalitatis enim natura coactionem omnem repudiat, & cum honestissima res sit donare, definit honesta esse, si necessaria, non enim magis quis laudabit donantem quam qui depositum reddidit, ut in simili argumento, nempe an ingrati vitium impunitum esse debeat, loquitur *Seneca l. 2. cap. 46. referente Grotio de J. B. & P. l. 2. cap. 29. nu. 20.*

I I I.

Donatio dividitur in propriam & impropriam, illa dicitur absoluta donatio, *l. 35. §. 2. de mortis caus. donat. directa l. 35. C. h. r. simplex l. 20. §. 3. ff. fam. ercisc.* cujus principalis & summus finis est liberalitas, itaque hæc donatio expers est alieni finis aut reposcentis antidotum; hæc dicitur impropria sive ob causam facta & quæ respectum habet, qua cessante non fieret ut est donatio remuneratoria, propter nuptias, An est mortis causa donatio, sic videtur *l. 35. §. 2. ff. de mortis causa don. dissentit Zoefius ad ff. h. r. num. 2.* ex eo præcipue quod hic compulsio cesset, ad conciliationem forte posset dividi donatio impropria in illam ad quam quis cogi posset ut dos, donatio propter nuptias, & illam quæ quidem ob causam fit, non quidem causam necessitatis verum honestatis & gratitudinis quo non male referas donatio remuneratoriam & mortis causa.

I V.

Donatio propria rursus dividitur vel in illam absolutam quæ fit traditione & illam, quæ vel sub conditione est, vel modum vel tempus adjunctum habet, quæ rursus vel fit conventionem, si ve nudo pacto, vel stipulatione, quæ divisio spectata ad effectum de quo infra.

V.

De donatione propria, ne nimium nostrum exercitum excrescat duntaxat acturi sumus, ad cujus evidentiorum intellectum in sequentibus hæc 6. notabimus. 1. qui donare possint, 2. quibus donari potest, 3. quæ res donari possint, 4. quomodo perficiatur donatio, 5. quinam ejus sint effectus, 6. quomodo semel facta extinguatur seu revocetur.

V I.

Sed antequam ad ulteriora pergam lubet duas quæstiones & quidem

quidem præliminares præmittere. Primo quaeritur. An Donatio sit Juris Gentium, an J. Civilis: quantum ad originem Juris Gentium videtur, nulla enim gens est quæ non liberalitatem quandoque exercent, quantum ad formam vero Juris Civilis esse ex his evincitur 1. quia Jure Antiquo ex Lege Cincia, ut constat ex *Cujacio lib. 10. observ. cap. 28.* donatio per traditionem nexi seu mancipationem debuit fieri (quam mancipationem ut actum legitimum Juris Civilis esse nullum est dubium *l. 77. ff. de R. Juris*) & donationis promissio ne quidem personam obligabat, (quod à simplicitate Juris Gentium recedere contra Connanum & alios probat Hugo Grotius in libro cui titulus, *de J. B. & P. l. 2. cap. 11. num. 1. & seq.*) nisi per stipulationem esset facta *l. 22. ff. h. t.* unde Martialis non ineleganter *lib. 10. Epigram. 16. canit.*

Si donare vocas promittere nec dare Caji

Vincam te donis muneribusque meis.

2. quia insinuatio in acta publica requirebatur in donationibus omnibus primo *l. 55. & 27. C. h. t.* postea si ducentis solidis major, exin si trecentis major & denique si quingentorum solidorum fuerit, quæ solennitates nullis gentibus in usu fuisse præterquam Romanis, legimus.

V I I.

2. Non incommode quaeritur an donatio sit modus an causa domini acquirendi, distinguo utrum traditione an conventionione perfecta sit, si conventionione, non modus, sed causa est, quia non pactis sed traditionibus rerum dominia transferuntur *l. 20. C. de pact.* si traditione, est modus; ab eo differt vix alia ratione Titulus quam causa rei proxima a remotiori, in omni enim acquisitione tam J. Gentium quam Civili modus & causa spectantur; proxima domini nanciscendi principia modi, remotiora causæ seu tituli in Jure nostro vocantur *l. 11. §. 4. & 5. ff. de except. R. Jud.* solent tamen aliquando confundi & promiscue usurpari ut liquet ex Pauli in *l. 3. §. 4. ff. de Adop. poss.*

V I I I.

Donare autem possunt omnes illi qui liberam habent administrationem & rerum suarum sunt domini *arg. l. 7. ff. h. t.* & generaliter omnes

omnes qui non prohibentur *arg. l. 43. ff. de procur.* Prohibentur autem præcipue ii in quibus deficit usus rationis, ac per consequens infantes. An & furiosi & dementes; sic Comm. Schola: quod mihi tamen enunciatum nullis circumstantibus aggravatum videtur falsum; quia difficilis distinctionis est, utrum quis demens sit an non, omneque discrimen petitur ex conjecturis, præsumptionibus & indiciis, qualia plurima *Matth. de Crim. p. mibi 23.* recenset, quæ si non semper, attamen plurimum fallunt; Accedit quod & sanæ mentis homines nunquam ita recte procedant in omnibus actionibus suis, quin aliquando mentis errore ducantur, quæ definitio dementis apud *Mattheum d. l.* est; homines enim ex uno aliquo prave facti stultos & dementes vocamus, & stultorum omnia plena dicimus, quos omnes indistincte à Donationibus arcere non stulti sed insani foret; aliud dicendum est si sub tutela vel cura vel alia quacunque prohibitione sint constituti publice vel privatim. Concedo etiam quod mente captus non donet, quibus oportet, quo tempore, & ubi honestum est, ut in liberali exigit *Arist. l. 4. Ethicor. cap. 2.* non enim hic quæritur an demens in foro conscientie optime utiliter, & secundum regulas parcimonie donet, verum an Jure humano subsistat & effectum sortiatur etiam contra parcimonie regulas collata donatio, quod nos affirmamus; non enim quicquid vitiose fit, effectu juris caret quod pluribus persequitur Hugo Grotius in incomparabili opere *de J. B. & P. p. mibi 197. & passim.* quantum vero intersit inter furiosos & dementes vide erudite & *à nobis* explicantem *Matth. d. loco.*

I X.

Prodigi quoque sicut & alienare, ita & donare prohibentur *l. 6. ff. de V. O.*; sunt vero juridice prodigi quibus ob luxuriam bonis interdictum est, nam tametsi ex sermonibus mentis suæ videantur compotes, tamen quoad bona, furiosum faciunt exitum, ac quemadmodum furiosorum, ita & prodigorum nulla voluntas dicitur *l. 12. §. ult. ff. de tut. vel cur. dat.*

X.

An mutus & surdus à natura donare prohibeantur? quæritur, de casu vel alio infortunio mutis vel surdis factis nullum est dubium *l. 33. §. 2. h. t.* atque hic non male à Connano *lib. 5. cap. 11. in*

Comm.

Comm. distinctio adhibita est inter res mobiles & immobiles, quod mobiles possit, immobiles minime; his affines sunt senes deliri qui bis pueri effecti donare quoque prohibentur, quia quod agunt non intelligunt & intellectu carent *arg. §. 10. Inst. de inutil. stip.* non idem dicendum de senibus, qui vegeto sunt iudicio, si quidem sola senectus donationem non impediatur *l. 16. C. h. t.*

X I.

Pupilli & minores quoque donare prohibentur *l. 11. ff. de A. R. D.* ex donationis vero causa alium sibi recte obligant, quia conditionem meliorem facere possunt etiam sine tutoris auctoritate, non etiam deteriorem, *l. 28. ff. de fact.* An vero naturaliter ex donatione obligentur quæritur? *affir. arg. l. 1. §. 1. ff. de nov. l. 25. §. 1. ff. quando dies leg.* scilicet ubi ejus ætatis est ut ratione utatur; quando autem ratione incipiat uti non potest certo definiri, quippe alii serius, alii maturius incipiunt, sed vel ex quotidianis actibus vel prout communiter accidit, desumendum est. Hinc apud Hebraeos valebat promissio quam fecisset adolescens qui annum 13. impleisset, puella quæ 12. notante Grotio *l. 2. c. 11. §.* Hinc etiam Leges Civiles iusta ratione motæ quasdam promissiones pupillorum, ut immobilium irritas pronunciant, adversus quasdam vero restitutionem in integrum concedunt, adeo ut naturalis obligatio minime pupillo noceat. *l. 29. ff. de cond. indebit.*

X I I.

Puberes cum liberæ sint personæ, sicuti alias conventiones etiam sine Curatore inire possunt & ex iis obligari *l. pub. 11. de V. O.* quidni & donando obligari dicendi? verum alienatio hinc non sequitur, quod si curatore destituti donent, alienatio simpliciter tenet quidem, verum ubi læsionem ostenderit, succurritur iis beneficio restitutionis in integrum *l. 3. C. de integ. rest.*

X I I I.

Filiusfam. donare non potest *l. 7. in pr. ff. h. t.* scilicet de peculio profectitio, *l. 28. §. 2. ff. de pact.* (quin de castrensi vel quasi castrensi donet nullum est dubium, quia in iis vicem patrisfam. sustinet *l. 3. C. de castr. pec. d. l. 7. §. ult. h. t.*) etiam liberam peculii administrationem habens *d. l. 7.* neque enim concessa est ad hoc ut perdat, perderet autem donans *d. l. 7. §. 2.* nisi adsit licentia patris, qua

qua speciali non indiget in dignitate positus *d. l. 7. §. 3.* aut agens in peregrinatione aut studiis *arg. l. 18. ff. de judiciis* maxime vero si justa ratione motus donet *d. l. 7. §. 1.* quam ponit eleemosyna vel honorarium professorum &c.

XIV.

Uxores insuper ne quidem consentiente marito res Dotales donare possunt propter *L. Juliam tot. tit. ff. & C. de fundo dotali*; res vero paraphernales recte donant, quia lex nulla prohibet alienationem & exemplum occurrit in *l. 6. C. de revocandis donationibus*. Moribus vero nostris cum sub perpetua tutela virorum sint nihil penitus ut alienare ita & donare possunt ne quidem bona quæ extra communionem pactis dotalibus stipulatæ sunt *Grotii Inleydingh lib. 1. cap. 5. circa finem.*

XV.

An vero maritus moribus nostris sine consensu uxoris possit alienare vel donare bona uxoris quorum alienatio expresse pactis dotalibus ipsi est interdicta, & an ipsa donatio vel alienatio quoad tertium subsistat; anceps nec dum definita est quæstio, cujus negativa quamvis strenuos nacta est patronos ut videre est apud *Wasssen. in praxi notarial. cap. 16. n. 30.* mihi tamen affirmativa verisimilior videtur, quamvis non careat difficultatibus, propter rationes a *Simone van Leeuwen in parat. J. Nov. lib. 4. p. 1. cap. 15. n. 4. & seq.* recensitas, hac tamen restrictione, nisi interdictio publice à judice facta sit, quo casu, quoad illa bona Juridice fit prodigus, quippe cui bonis scilicet illis interdictum sit; nihilominus salvo quod uxor agere possit adversus maritum ejusque hæredes pro medietate damni vel quatenus ejus interest, & præferenda sit omnibus aliis creditoribus, non adversus tertium possessorem.

XVI.

Procurator jussu domini speciali, (sub generali enim mandato regulariter non continetur donatio, nisi aliud appareat) quin recte donet, nullum est dubium, quia non tam ipse, quam dominus cujus jussu donat, donare putatur *l. 9. §. penult. ff. h. t. qui enim per alium quid facit perinde est ac si ipse faciat. l. 56. ff. de solut. & cap. 82. de reg. juris in 6.*

XVII.

An Reges seu principes regna, ditiones, imo & bona subditorum sine consensu eorum possint donando alienare, hac occasione quæritur; distinguo inter regna quæ quis habet in patrimonio & ejus propria sunt, ab iis quorum tantum usufructuarius, vassallus &c. est; hæc non potest, quia non plenum habet dominium, illa potest quia in ejus bonis sunt & eorum dominus est; de bonis vero altior inspectio est, quæ apud moratiores saltem gentes nunquam fere non plene habentur à subditis; & hæc ab iis non posse auferri & aliis donari nisi in pænam, & ex plenitudine potestatis, (quam recte Baldus plenitudinem tempestatis indigitat) ad quam tamen requiritur utilitas publica, & damni, si posset fieri, compensatio, statuimus cum Grotio *lib. de J. B. & P. lib. 2. cap. 14. num. 7.* quamvis hæc vix in donationibus, multo commodius in contractibus ut emtione, pignore, mutuo &c. locum habere videntur.

XVIII.

Servi quoque Jure Civili, quo nihil proprium habent, & quicquid acquirunt, dominis acquirunt §. 3. *Inst. per quas pers cuiq. acq.* donare prohibentur *l. 28. §. 2. ff. de pact.* moribus vero nostris prisca illa ac horrida & fraternæ dilectioni adversa servitute sublata, servos nostros seu potius famulos res proprias habere, & per consequens donare posse notius est, quam ut huic insistam.

XIX.

Capitalis criminis reus, quin ante contractum crimen donet nullum est dubium, quippe cum jus nemini quæsitum sit; post crimen vero contractum, non ipso jure reo interdicitur donatio, sed si condemnatio sequatur, nihil agit *l. 15. ff. b. t. dico*, si condemnatio sequatur, nam quod in fine legis in quibusdam codicibus legitur, *nisi sequatur*, procul dubio corruptum est, & legendum *scilicet* ut Gothofri ad h. l. Wissebach & alii observant ac alii Codices habent; Nam cum condemnatio sequitur, tunc tanto minus dubium esse potest an donatio valeat nec ne; excipitur crimen perduellionis, cujus reus, si donaverit, donatio non valet, etiamsi reus nondum accusatus decesserit *l. 31. §. fin. ff. b. t. crimini Majestatis jungit Modest. l. 20. ff. de accus.* crimen repetundarum; unde colligere possis excipiendum etiam crimen pecula-

tus & residuorum, propter eandem rationem, quia hæc, scilicet, quoque mortuo reo exercentur. *l. ult. ff. ad L. F. pecul.* vide Matth. de criminibus *l. 48. D. 4. 18. cap. 2. num. 19.*

X X.

Omnes denique donationes ab iis factas qui animum fraudandi habent, & quas in fraudem creditorum fecerunt revocantur *l. 14. §. pen. ff. qui & aq. manumiss.* quicquid enim in fraudem legis fit, ipso jure nullum est, vel revocatur.

X X I.

Donari potest omnibus non solum amicis & bene meritis, sed & ignotis & extraneis, honestis & inhonestis personis *l. 5. ff. h. t.* adeoque meretricibus & concubinis; cujus occasione quaeritur, an Meretrix apud Judicem exteriorem donationem sibi promissam occasione actus meretricii possit exigere: cujus affirmativam quamvis strenue inter alios Covarruv. *ad c. pecc. p. 2. §. 2. num. 2.* defendere conetur, negativa tamen cum Connano magis arridet propter text. apertum in *l. 5. C. de condit. ob turp. caus.* quod ergo in *l. 4. ff. §. de cond. ob. caus.* dicitur *datum meretrici non repeti, quia licet turpiter faciat quod sit meretrix, non turpiter tamen accipiat, cum sit meretrix,* satis est argumenti, non posse peti, nec permissam esse petitionem, sed acceptionem, & frustra quaeretur, an datum repetatur, si non datum postulari posset; accedit quod actus meretricii, apud nos punibiles sint, quo casu, ipso fatente Cov. dicto loco, promissam non posse peti donationem occasione ejus actus, qui quoad petiorem punibilis, verius est, ne videlicet lucrum & pretium is consequatur ex eo unde pœnam jure habere debet, & quia hujusmodi stipulationes indignæ sint quæ juris autoritate adjuventur *l. 20. ff. de verb. obligat.*

X X I I.

Non solum præsentibus, sed & absentibus donari potest, sive per epistolam, sive per nuncium *l. 4. l. 10. ff. h. t.* hæc tamen donatio non prius firma erit, quam absens donatoris voluntatem ratam habuerit *l. 10. ff. h. t. Cujac. l. 12. obs. 28.* Omnibus inquam donare licet exceptis iis qui prohibentur *arg. l. 43. ff. de proc.* prohibenter autem aliqui simpliciter, aliqui absolute; simpliciter prohibentur Conjuges ut constat ex *rot. tit. ff. C. de donationibus in-*
ter

ter vir. & uxor. excipiuntur tamen Principes *l. 26. C. de don. inter vir. & uxor.* cujus prohibitionis triplex vulgo ratio solet afferri, 1. ne mutuo amore se invicem spolient conjuges, 2. ne alter ditior alter pauperior fieret, 3. ne concordia maritalis prætio conciliari videatur *l. 1. 2. 4. ff. de donationibus inter vir. & uxor.* quod tamen non lege aliqua scripta, quæ nulla hac de re exstat, sed moribus introductum est d:l. A quo Jure Romano mores Belgarum alibi minus alibi majus divortium fecerunt jure an injuria jam non disquiro. Reliquas quæstiones vulgares videlicet an donatio reciproca valeat? vel an maritus ignobilis vel senex ducens uxorem nobilem vel ætate florentem in compensationem ejus possit donare, & an donatio simplex juramenti religione confirmetur &c. Sciens prætereo ne videlicet nimium excrescat exercitium.

X X I I I.

Pater quoque prohibetur filio donare *l. 7. ff. C. h. t. l. 25. C. de donationibus inter vir. & uxor.* quia pater & filius habentur pro una persona *l. ult. in fine C. de impub. & al. subs.* nisi 1. donatum sit ob singularia bene merita, non obsequialia, sed artificialia vel officialia, quæ tamen filius debet probare, nec debent excedere merita causæ. *Gail. l. 2. ob. 18.* & 2. nisi morte confirmetur *l. 25. C. de donationibus inter vir. & uxor.* 3. nisi pater exmancipaverit nec expresse donum ademerit *l. 31. §. 2. ff. h. t. l. 17. C. h. t.* An & Juramento? sic *Comment. schola DD. testib. Fachineo lib. 3. Contr. cap. 77. & Hillig. in Donell. enucl. lib. 9. cap. 5. lit. E. pag. mibi 232.* Juris Civilis tamen ratio vix eam admittere sententiam videtur, quia Juramentum est accessio donationis, qua per leges non subsistente nec ipsum juramentum, in foro scilicet soli, vires ei præbere potest *cap. access. 42. de R. J. in 6.*

X X I V.

Miles quoque focariis suis donare prohibetur *l. 2. C. de don. inter vir. & uxor.*; focarias vocat Anton. Imper. militum amicas, quod earum foci præcipua cura sit, tota eum militum domus & rei familiaris administratio in ipso foco est, ei fere mandari solita, quæ toti familiæ custos adhibetur, nam & hinc factum ut focum pro domo & aram pro templo, quod horum maxime causa & domum & templum habeamus, quod & origo vocis indicat quæ a foven-

do venit, quasi victum, cultumque vitæ nostræ foveat ac tueatur; & hæc obiter. Ratio vero specialitatis in milite assignatur in *dist. l. 2. C. ne milites*, inquit Imp. per fictas adulationes rebus suis spoliuntur, quod optime constitutum videtur, ne milites qui multo plus quam alii meretriciis voluptatibus dediti sunt, quia aut uxores non habent aut absunt ab illis, rebus suis nudentur.

X X V.

Absolute prohibentur ii in quibus deficit sensus ad acceptandum; qualis præcise ad donationis perfectionem necessaria est, quo carent infans, furiosus, mente captus, ac per consequens valide iis donari nequit §. *furioso inst. de inutil. stip.* proximis tamen infantia quales Jure nostro dicuntur qui annum septimum impleverunt, datum, ut possint acquirere ex eo scilicet quod intelligere incipient; & hæc de jure naturali, sed Jus Gentium ob utilitatem communem introduxit ut & infantes & amentes dominia accipere possint, nam pro his ut possidendi res quæ possessione quæruntur, ita & acceptandi animus jus supplet; Ideoque hoc dominium stat intra actum primum, nec ad actum secundum pertinere potest, id est ad habendi, non per se utendi jus pertinet; alienatio enim in ipsa sui natura includit actum utentis ratione quæ in talibus existere, seu fingi non potest, quo haud male referas illud Gentium Apostol. in *Epist. ad Galatas cap. 4. comm. 1.* pupillum quamquam rerum paternarum dominum, dum ejus est ætatis, nihil differre a servis, exercitio dominii seu actu secundo scilicet.

X X V I.

Donari possunt res omnes quæ in patrimonio donantis existunt, res enim aliena cum effectu non donatur *l. 9. in sine ff. b. t.* usufructu enim conditio tantum per eam transfertur, qua ratione concilianda *l. 3. in sine ff. pro donato cum d. l. 9.* & quæ in commercium cadunt, unde res sacra, religiosa, publicis usibus destinata, liber homo, hæreditas viventis non recte donantur *l. 29. §. ult. ff. b. t.* sive corporales sive incorporales, sive mobiles sive immobiles nihil refert *l. 2. 9. 17. ff. b. t.* dummodo non sint prohibita alienari per legem

legem vel testatorem, vel pactionem seu contractum, hac differentia quod contra legem vel testatorem facta alienatio ipso jure nulla fit, contra pactum tantum ad inter esse agatur *l. 7. C. de reb. al. non al. & l. 3. C. de cond. ob cau. dat.*

XXVII.

An donatio omnium bonorum & presentium & futurorum valeat nec ne sabbatina inter Jctos. videtur quaestio, illis affirmantibus, his distinguentibus inter bona presentia & futura, aliis rursus negantibus & mirum in modum sudantibus ut probent donationem omnium bonorum esse contra leges & bonos mores, & publicum jus tollere; ut videre est apud *Harprecht. ad h. t. p. m. 631.* Simplicius dixeris, & presentium & futurorum valere, salva nihilominus liberis legitima portione *l. 35. §. 4. C. h. t.* 1. Quia nulli prohibita est, quod vero prohibitum non est cur stare prohibeatur? 2. Quia & presentium & futurorum obligatio concessa est *l. fin. C. qua res pigni obl. n. poss.* cur non & alienatio seu donatio? *l. ult. C. de reb. al. non alien.* 3. Exempla in jure nostro varia occurrunt, ut in *l. 35. §. 4. C. h. t. l. 8. in verbis, omnia bona C. de revoc. don.* ubi est praesumptio juris & de jure, & *l. 5. C. de in officios. don.* objectiones quas hic Interpr. precipue antiqui inter quos & Fachinae. *l. 6. contr. 87. & c.* nectunt ipsi conflictui reservamus.

XXVIII.

Licet autem omnium bonorum donatio valeat, simpliciter tamen facta non continebit futura, stricti enim juris est *l. 22. ff. h. t.* An & actiones & jura sub donatione simpliciter facta contineantur quaeritur, & non contineri nisi expressa eorum sit donatio probabile videtur ex *l. 86. ff. de leg. 2. adde Gail. l. 2. obs. 11. n. 9.*

XXIX.

Ad perfectionem donationis imprimis consensus utriusque requiritur *l. 10. ff. h. t.* & modum promittendi quod attinet requirit

rit actum externum, id est sufficiens signum voluntatis, quale & interdum potest esse nutus, frequentius autem vox aut litteræ; ab altera vero parte acceptatio hic imprimis requiritur sive per se sive per alium *l. 4. ff. h. t.* circa quam variæ quæstiones & quæ in ipsis rerum argumentis locum obtinent, moventur, & suo modo id est, summa *antecæta* resolvuntur à nostri ævi coryphæo Grotio in divino illo *de J. B. & P. opere lib. 2. cap. 11. n. 12. & seq.*

X X X.

Donatio quin Jure Gentium nudo pacto perficiatur nullum est dubium siquidem animo fiat deliberato; at jure antiquo non nudo pacto propter rationes *Conn. l. 1. c. 6. n. 12. & li. 5. c. 1. & Grot. lib. 2. cap. 11. n. 1. & seq.* sed stipulatione quod deliberati animi signum certum constituerunt Romani, perficiebatur. Postea vero cum sola verborum stipulatione donationem induci periculosum videretur, quod hæc à simplici ac nuda promissione non admodum differat, Constantinus Imper. primus, quod sciam, statuit ut non satis esset stipulari donationes, nisi instrumentis publicis mandarentur, *l. 25. C. b. t. l. 27. C. b. t.* postea vero ad majorem securitatem adinventæ est insinuatio tanquam extrinseca quædam sollemnitas, *l. 31. C. b. t.* insinuatio proinde nihil aliud est quam factæ donationis quingentos solidos excedentis coram Judice competente publicatio, ut in acta publica velit referre, ubi non opus est causæ cognitione cum non sit jurisdictionis contentiosæ, & ratio tantum sit in excludendis fraudibus, quarum subornatio in rebus majoris momenti nunquam non obvia.

X X X I.

Cujus valoris apud antiquos fuerit solidus seu aureus mire inter se digladiantur rei nummariæ periti, *Erycius Putean. in Pec. ration. l. 1. cap. 4.* comparat nostræ monetæ ducatum Hungaricum. *Chifletus in numism. aur.* comparat 7. florenis. *Covarruv.* vero distinguit inter aureum & solidum ut aureus multo tempore fuerit 4. uncix pars & postea 6. pars & 25. denariis argenteis, solidus

solidus vero post Constantinum denariis 17 argenteis constiterit, nisi potius statuamus varium subinde pondus aut inconstans, ut sit, solidi & aurei æstimatio fuerit; ut notant Hottom. *de re numin. c. de num. aureis Covarr. d. l. Budæus de Asse l. 3. 5.* communiter tamen secundum nostram monetam æstimatur 5. flor. quorum sex faciebant tempore Valentiani & Valentis, unciam, & septuaginta duo unam libram, ut constat *ex l. 5. C. de sust. præp. & arcar.*

XXXII.

Insinuationis vero omissio non vitiat, nisi quoad excessum *l. 35. C. h. t. l. 21. ff. h. t.* ex regula juris ne utile per inutile vitietur, præsertim in rebus dividuis *cap. 37. de Regulis Juris num. 6.* repetitur autem superfluum illud conditione sine causa *l. 21. §. 1. ff. h. t.*

XXXIII.

Non tamen, in omnibus donationibus quingentis solidos excedentibus insinuatio requiritur; excipiuntur enim quidam casus, in quibus etiam sine insinuatione subsistat, ac 1. quidem, in donatione privato facta à principe *l. 34. v. except. C. h. t.* 2. in donatione Principi facta à privato, ubi tamen requiritur instrumentum publicum habens subscriptionem donatoris & testium *nov. 52. cap. 2.* ratio vero 1. & 2. exceptionis est, quia princeps legibus illis civilibus solutus est *l. 31. ff. de legib.* 3. in donatione ad redimendos captivos. *l. 36. in pr. C. h. t.* 4. in donatione ad refectionem domus ruina vel incendio corruptæ; *l. 36. §. 2. C. h. t.* ratio vero 3. & 4. exceptionis dependet ex favore piæ causæ; unde quæritur, an generaliter Jure Civili ad omnem piam causam hoc fuerit constitutum; quod posset videri ex *l. 34. in fine pr. C. h. t.* ubi dicuntur excipi donationes quæ in causas piissimas procedunt. Verum Justinianus in *l. 19. C. de Sacro Sa. eccl.* constituit & piæ causæ factam donationem subjacere oneri insinuationis, nisi specialiter sit excepta, cujusmodi sunt duæ illæ præcedentes. 5. In donatione rerum mobilium vel se moventium facta militibus

fortissimis à duce belli a ut magistro militum, five ex tua substantia, five ex hostium spoliis. *l. 36. §. 1. C. h. t.* ratio hujus est favor militiæ.

XXXIV.

Circa insinuationem variæ moventur quæstiones, ac 1. quidem quæritur, an repudiatio seu renuntiatio juris alicujus, si excedat 500. solidos, sit insinuanda? distinguendum inter jus acquisitum & acquirendum, ut illo quidem casu subiaceat oneri insinuationis, V. G. si debiti ex empto, locato, mutuo &c. fiat remissio; hoc vero casu non subiaceat, V. G. si legati sibi relictæ repudiatio fiat, cum necdum plene acquisitum non posset plene donare, cum nemo plus juris in alium conferre possit quam ipse habeat. Vide *Zoes. ad h. t. p. 711.* quod & Juri Civili & moribus nostris consentaneum est, quibus creditores fraudare non intelliguntur si quid a debitore non acquiritur, sed quum quid de bonis diminuitur *l. 134. ff. de Regulis Juris* quod tamen in Gallia, Territorio Mechlinensi & aliis nonnullis locis non procedere autumant Christen: Charond: & alii, ubi hereditatis dominium ipso jure acquisitum in fraudem creditorem repudiando amitti potest. Vide *Leeuw. in parat. p. 181.*

XXXV.

2. An donator possit insinuationi renuntiare. Et recte à pluribus id negatur ex ea ratione, quod quilibet possit quidem iis quæ sunt introducta in favorem suum renuntiare, non etiam quæ introducta sunt in favorem alterius maxime publicum uti hoc in casu, ad avertendas, nimirum fraudes *l. 27. C. h. t.*

XXXVI.

3. An donatio 500. solidos excedentis juramento firmata requirat: & quamvis Com. Schola imprimis vero Pontificii, nimirum ex corpore Canon. *in c. 8. ext. de jurejur.* ex ea nimirum ratione

ratione quod ubique iuramentum servare debeat nisi tendat contra bonos mores (Juris scilicet Canonici) & publicam utilitatem principaliter & tendat in præjudicium conscientiae & salutis aeternae. *d. cap. 8. & cap. 2. de pact. in 6.*) affirmativa tamen sententia Juri imprimis Civili videretur convenientior 1. quia jus publicum privatorum pactis non potest tolli, & nemo possit facere quo minus leges in contractu suo locum habeant. *arg. l. 55. ff. de leg. 1. 2.* quia iuramentum sequitur naturam ejus actus cui adjicitur, quo per leges non subsistente, nec ipsum iuramentum vires ei prebere potest.

XXXVII.

4. An omiſſa inſinuatione exceſſum in conſcientia retinere poſſit donatarius? affirmativa magis mihi arridet ſententia ex eo quod lex pænalis, in conſcientia ante ſententiam non obliget, nec obſtat quod expreſſe renunciari non licet, tacite autem hoc in caſu fieret renunciatio, multa enim expreſſe fieri prohibita ſunt, quæ ſi tacite admiſſa ſint, ſuſtinentur, quia tacito non adſit eadem contumacia, vide *Everard. loc. leg. l. 27. nu. 16. & ſeq.*

XXXVIII.

5. Et ultimo adjungamus & hanc quæſtionem, an videlicet moribus noſtris etiam in caſu prædicto inſinuatione in acta publica requiratur? *Grotius in manu. p. mihi 153.* teſtatur nihil legibus noſtris de inſinuatione cautum eſſe, ac proinde deficientibus ſtatutis recurrendum eſſe ad leges Civiles; *Groenewegen in not. ad d. l. Grot.* meminit ſtatuti Antverpienſis, quo cautum eſſet, ut omnes donationes qualificatorum hominum valerent & ut ex iis agi & peti poſſet, etiamſi excederent quingentos aureos; cæterum ad ſecuritatem præſtandam certiffimum eſt remedium, & ad omnem dolum & machinationem ſecludendam; proinde hodie non eſt de neceſſitate, verum videtur eſſe de ſecuritate & certitudine.

XXXIX.

Donatio et si olim nudo & solo consensu non perficiebatur hodie tamen nuda conventionione perfectissimum robur accepit ex *l. 35. §. 5. C. h. t.* etenim quamprimum donator voluntatem donandi declaraverit, eaque acceptata fuerit, necessitas tradendi non secus ac si vendidisset incumbit donatori *§. 2. Inst. h. t. l. 35. §. 4. C. h. t.* qua occasione quæritur an donator precise rem tradere, si possit, teneatur, an vero præstando interesse liberetur; Com. Schola, ut videre est apud *Harprecht. ad pr. tit. Jus de empt. l. 1. ff. de act. empt.* (si res vendita non tradatur, in id quod inreest agitur) hacque ratione plene consulitur emptori qui ad interesse agit, quippe quod interesse & pretium possit excedere, & ad duplum assurgere *d. l. 1. & l. uni. C. de sent. que pro eo quod interest prof. ad* quam vide *Alciat. tom. 3. lucub. jur. civ.*

XL.

Donator actione ex stipulatu, si stipulatio intervenerit vel conditione ex lege, si nudo pacto sit peracta *l. 35. §. pen. C. h. t. l. 9. C. h. t. nov. 162. c. 1.* conventus eatenus tantum, quatenus facere potest tenetur, deducto etiam ære alieno *l. 12. l. 33. in princ. ff. h. t.* neque usuras & fructus ex mora præstare cogitur quod ad perceptos & consumptus, illos ne quidem post litem contestatam præstat sed saltem functus exstantes *l. 41. §. 1. ff. de R. Ind. l. 22. ff. h. t. l. 9. II. ff. h. t.* neque de evictione rei donatæ tenetur donatorio, nisi quatenus stipulanti promiserit *l. 2. C. de evict. vel ad edit. edit.* quia non est æquum ut quisquam ex liberalitate sua damnum sentiat vel pœnam patiatur. *d. l. 62.*

XLI.

Obligatur etiam ex donatione defuncti hæres *l. 49. ff. de V. O. l. 27. ff. h. t.* quod ut extra controversiam est indonatione, cujus effectus

effectus est transiens, ita controversiam patitur in casu, quo effectus est permanens, veluti quando tantum concessus rei usus, hacque ratione antinomia inter *d. l. 27. & l. 32. ff. h. t.* facillime tollitur Zoef. *ad h. t. n. 58.*

X L I I.

Si duobus res aliqua sit donata, posteriori vero tradita quaeritur quis potior. R. is potior cui prius possessio tradita est *l. 15. C. de R. viad.* datur tamen priori donatario actio personalis non realis ut Comm. Schola. apud Zoef. *ad st. n. 63.* pro aestimatione, ut & si dolo factum sit, actio *L. Corn. de falsis. l. 21. ad l. Cornel. de falsis*

X L I I I.

Donationes ob causam factæ aut sub conditione quin causa non secuta, aut non stante conditione deficient & revocentur ambigi non potest, *l. 2. §. 5. ff. h. t.* donationes vero simplices, si fuerint rite & legitime perfectæ, non temere revocantur, nec sola poenitentia, sed iusta causa subsit necesse est *l. f. C. de rev. don.* qualis est imprimis causa ingratitude non cujusslibet, sed insignis alicujus, & quæ sceleri sit aut affinis aut conjuncta, quales quinque causæ ab Imp. in *l. fin. C. de revocan. do.* recensentur; intra quas quinque causas qui coarctant hoc jus & in similibus & gravioribus causis non obtinere urgent; næ illi miseri syllabarum aucupatores sunt!

X L I V.

Quod jus revocandæ donationis ex causa ingratitude ipsi qui largitus est competit, non etiam ejus hæredibus *l. 7. l. 1. l. ult. C. de revoc. don.* ratio est quia ingrati actio spectat ad vindictam, actiones autem quæ ad vindictam spectant non dantur hæredibus ut actio injuriarum & inofficiosi testamenti *l. 13. l. 15. §. 14. ff. de injur.* adversus vero hæredes recte instituitur, quia actiones rei per-

secutoria dantur adversus hæredes §. 1. *Inst. de perpet. & tempor. action.* quod utrumque rectissime à DD. limitatur, nisi donator in vita habuit notitiam ejus, & habuit tempus ad agendum & revocandam donationem. *Gomes. resol. to. 2. c. 4. n. 14. in medio.* Est & alia quædam revocandæ donationis causa, quam refert Constantinus *l. 8. C. de revocand. donationibus*; nempe supervenientia liberorum; quæ lex tametsi in specie de patrono loquatur & liberto, & non improbable sit Jure Civili id tantum in patrono & liberto obtinuisse, quia tamen in desceptationibus judiciorum obtinuit sententia ut quod in patrono sanivit Constantinus in *d. l. 8.* valeat in quocunque donatore, sequamur & nos eandem equitatem, non quod ita à Constantino constitutum sit, sed quod æquibonique ratio postulare videatur, ut immensam donationem ab eo factam qui nulla spe liberorum teneretur, infirmet liberi postea suscepti; qua eadem æquitate Papin. respondit evanescere substitutionem filio factam à patre, si filio nascantur liberi; quod verosimile non sit de nepotibus cogitasse testatorem, cum filio substituit, ut refert Just. *l. generaliter ff. de instit. & substit.* tota enim hæc res æquitate examinanda venit; quæcunque autem donatio sive omnium sive majoris partis bonorum rescinditur per novæ sobolis procreationem sive presens fuerit donatio sive post mortem differatur, majorem partem dum dixi, intelligo tantam quantum verosimile non est facturum fuisse eum, si sperasset liberos, quod pro religione sua iudex constituet, quare nec donationes remuneratoriæ vel ob causam factæ hac lege comprehenduntur.

Innumeras vero quæstiunculas circa *l. si unquam* moveri solitas, sicco transibimus pede, quia nobis præfixa est brevitatis.

Atque hæc tenuia, Deo sit gratia, ratione
materix nostræ & præfixi scopi enar-
rasse sufficiat.

F I N I S.

COROLLARIA.

I.

Qui credidit in refectionem navis, non
habet tacitam hypothecam.

I I.

L. 2. habet locum, tam in emtore quam
venditore.

I I I.

Non vero in Transactione.



COROLLARIA

I.

Qui credit in reflectione sua, non
habet tacite hypothecam

II.

Qui habet bonam, tam in casu de
venditoribus

III.

Qui dicit in Transactio

